B. N. C
FIRENZE
1083
18

1083. 18

EMOSTHENIS ORATIO PRIMA CON-TRA PHILIPPVM.

Quia in conuertenda data opera eſt, ut, quam maxime fieri poſſet, uerbis adhibitis ad latinorum conſuetudinem aptis, ſenſa ipſa oratoris, tum acute, & ſplendide explicarentur, tum grauiter, ac rotunde concluderentur.

Notati ſunt etiam loci quidam in margine, quos Latini auctores uidentur in ſuis libris a Demoſthene ſumptos, aut omnino expreſsiſſe, aut certe leuiter adumbraſſe.



MVTINÆ APVD ANT. GADAL.
M D X L I X.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

DEMOSTHENIS ORATIO PRIMA CONTRA PHILIPPVM.

SI QVA De re noua conſuleremur Viri Atheniẽſes; ego tandiu, à dicẽda me ſententia continens, tacuiſſem; quandiu pleriq; eorum dixiſſent, qui ante me dicere ſoliti ſunt: si modo aliquid ex iis, quæ illi dixiſſent, probarem; ſin minus; tum uero, quid mei conſilii eſſet, quoad poſſem, exponerem. Sed quoniam factũ eſt, ut quibus de rebus ab iſtis ante sæpe dicta ſententia eſt, de ijs hoc etiam tempore conſulamur, dignum me uenia puto, ſi primus ipse ad dicendum ſurrexerim. Neq;.n. ſi ea ſuperiore tempore de Rep. locuti eſſent, quæ tempus Reipub. poſtulabat; quicq̃ à nobis eſſet amplius hoc tempore ſtatuẽdũ. Primum igitur omnium bonum habetote de præſenti rep. animũ V. Athen. etiam ſi afflicta admodum, & incommoda uideatur

Iſoc. in proœm. Archidami.
Cic. in proœm. p Roſcio Amer.

Sall. in cõcióe Marii. 62.b.

Sententia eiusmodi eſt in epiſt. Mithridatis apud. Sall. 8 3. a & Ci. Phi. ii. 230. b.

eſſe conditione. Etenim *quæ res ei antea detrimentum, eadem eſt emolumentum in poſterum allatura. quid ita? quia ſocordia, & ignauia ueſtra hæc mala contracta ſunt* V. Athen. Nam *ſi uigilantibus, & laborantibus uobis in hunc locum Reſp. deueniſſet; haud ſpes ulla relinqueretur, fore, ut ipſa meliore aliquando ſtaret.* Deinde *uero ueniat uobis in mentem, ſi rem ignoratis, ab aliјs exquirendo, ſi tenetis, ipſi memoria repetẽdo; ut paucis poſt magnũ illud* Lacedæmoniorum *imperium annis alienum nihil à* Reip. *ueſtræ (ut par erat) dignitate feceritis; ſed cum iјs etiã bellum pro* Græcorum iure retinendo *ſuſtinueritis.* Quorſũ *hæc mea oratio pertinet? ut his uobis exẽplis*

Off. 65. 6.

propoſitis V. Athen. *quod & ſtudio ueſtro* opes olim Lacedæmoniorum *labefactaſtis, nũc autem ſocordia noſtra ab iſtius hominis inſolentia conturbemur; nihil eſſe eiuſmodi intelligatis, quod cauentibus, uigilantibusq; uobis afferre terrorem poſsit, ac contra etiã nihil quod negligentibus, indormientibuſq; ex animi ſententia ſucceſſurum ſit.* At *uero ſiquis ueſtrum* V. Athen. *propterea uix bello op/*

primi poſſe Philippum putat, quod & præ/ſentem copiarum eius magnitudinem, & omnium noſtræ Reip. Ciuitatum amisſio/nem intueatur, ſane prudenter putat. Co/gitare enim debet ille, huic noſtro quõdã im/perio Pydnã, et Potidæam, & Methonẽ, reli/quasq; proximas has, quæ circum ſunt, regio/nes, ſubiectas, adiunctaſq; fuiſſe; magnamq; earum gẽtium partem, quæ illius nunc auc/toritatẽ, nomenq; ſequuntur, ſuis quõdã legi/bus uſas eſſe; eoq; animo extitiſſe, ut nobiſcũ potius, q̃ cũ eo ſocietatem ſibi, amicitiãq; cõ/ciliandam eſſe cenſerent. Si igitur hac tum mente Philippus fuiſſet, ut bellum difficile ſibi cum Athenienſibus eſſe duxiſſet, præ/ſertim uero, qui his huiuſmodi locis, quaſi quibusdam finium ſuorum oppugnandorum aggeribus uterentur, ipſe nullius amicitia, nulliusq; ſocietate deuinctus eſſet: haud pro/fecto eorum quicquàm feciſſet, quæ fecit, nec tantam unquam eſſet, quantam habet, potentiam conſecutus. Sed uidit ille præ/clare, hæc omnia loca tanq̃ belli præmia quæ/dam in medio eſſe poſita. atque ita natu/ra comparatum eſſe, ut qui præſentes eſſent,

Ci. Philip. 10, 226, a

fortunas abſentium occuparent, atq; ut iij, qui labores excipere, & pericula non recuſarent adire, rebusq; eorum, qui inertiæ eſſent, atq; otio dediti, fruerentur. Quamobrem *hoc ille mentis ardore uſus euerſis his locis omnibus, alia belli ui, alia uoluntate imperio ſuo adiunxit. ſiquidem nemo eſt, qui non cum eo ſocietate maxime, beneuolentiaq; coniungi uelit, quem & rerum gerendarum ſtudioſum, & paratum, erectumq; perſenſerit.* Hunc *igitur eundem animum* V. *Athen. ſi nobis quoq; ſuſcipiendum eſſe hoc tempore putaueritis, etſi non antea ſuſcepiſtis; ſiq; unuſquiſq; ueſtrum in iijs ſe rebus, in quibus aut decet, aut ipſe prodeſſe* Reip. *poteſt, ad eam defendendam ſine ulla recuſatione parauerit: qui pecunijs quidem &*
Philip. ſep. 211. b. *opibus ualent ad* Remp. *pecunia ſubleuandam, ad nomina uero danda, quibus militaris*
Sall. in cõc. Marii. 62. b *eſt ætas; deniq;, ne omnia perſequar, ſi priſtinum animum, uirtutemque ceperitis, eamque ſpem abieceritis, fore, ut ſi uos*
Sall. in cõc. Catonis. 21. a. *nihil, omnia pro uobis alij gerant; mihi credite, & priſtinum imperium recipietis, & ea, quæ per ignauiam amiſi*

ſtis dijs uolentibus recuperabitis, et Philippũ
ulciſcemini. Nolite .n. *putare hunc ip/*
ſum rerum ſtatum ei tanquam Deo *ſtabi/*
lem, immortalemq; futurum; ſed & ipſe
odio eſt multis. V. Athen. *& metuitur à*
multis, flagratq; eorũ etiam inuidia, qui uel
intimi illius familiares eſſe uidentur. Quin
ijsdem etiam rebus eorum animos impelli,
qui ſecum ſunt, debemus exiſtimare, qui/
bus hominum etiam aliorum. At *hæc*
tamen omnia hoc tempore, quod quò ſe cõ/
uertant non habeant, ſummo uos timore
afficiunt propter inertiam, ac tarditatem ue/
ſtram, quam omnino uos abijcere iam, ac
deponere cenſeo oportere. Nam *quan/*
tam ſibi licentiam comparauerit iſte homo;
conſiderate; qui ne uobis quidem optionem,
poteſtatemq; facit, bellum ne an pacem acci/
piatis. uerũ minatur, & ſuperbis (ut aiunt)
grauibusq; uerbis utitur, nec ijs, quæ capta
poſſidet, contentus acquieſcere poteſt; ſed
alia præterea loca quotidie oppugnat, nosq;
ſedentes deſides undiq; indagine cingit.
Quando igitur tandem V. Athen. *quan/*
do dignum uobis animum capietis? quem

Cic. Philip. 5. 201. 2.
Philip. 10. 226. 2.
Sic preſentẽ ignauiã Romanorũ uitupat Macer trib. pl. apud Sall. & Cato in cõcionibus Liu. l. 31. in cõc. ſulpicii ad Quir. De bello Macedon.
Verba etiã ſupba Antonii colligit Cic. Philip. 5: iteq; etiã crudelia eius facta cõt. Rẽp. iteq; lepid. ſyiię in cõc. apud Sall.

rerum exitum, quod tempus, quanq;, ſi dijs placet, neceſſitatem expectaueritis? Quanquam quid rerum perſequamur euenta? neque enim ullo urgeri grauiore liberi homines caſu mea quidem ſententia poſſunt inquam ſuis ipſorum cum dedecore coniunctis actionibus. An uero placet toto foro uolitantibus, atque uagantibus, ecquid noui nuncietur, inquirere? Etenim quid tam nouum eſſe poteſt, quàm Macedonem quendam eſſe, qui bello uincat Athenienſes, & Græciam moderetur? oppetijt ne mortem Philippus? non profecto, ſed affectus eſt grauiter. quid autem hoc apud uos intereſt? nam ſiquid ei tale contigerit, uos ipſi celeriter iſtis moribus alterum Philippum excitaueritis. præſertim uero cum non tam propter potentiam ſuam Philippus, quã ueſtram propter inertiam imperium propagauerit. Sed tamen ſi fatum eius extremũ ueniſſet, idq; nobis fortuna daret, quæ nobis ſemper conſuluit magis, quàm ipſi nobis met ipſis (cur enim facere non poſſet?) non eſt dubium, quin ſi propius affueritis, atque in ipſam rerum confuſionem incubueritis, rem

Sall. in concione Macri.

Att. i. 7. 98 b.

omnem ex ſententia adminiſtretis. at uero hunc in modum affectis uobis, ne ſi tempora quidem ipſa Amphipolim dederint, recuperare poteritis, cum ita ſitis & apparatu, & opinione diſtracti. Ac omnes quidem, qui Remp. ſaluam uelint alacri, et erecto eſſe animo oportere, quoniam ſatis nobis probatum eſſe confido, dicere omitto. Nunc de copiarum genere, quibus his malis liberatum iri Remp. puto, deq; idoneo earum numero, ac de conficiendarum pecuniarum ratione, cæteriſq; prout mihi commodiſſime, celerrimeq; eſſe comparanda uidetur, quoad potero dicam; ſi uos orauero V. Athen. primum, ne quid prius, quàm omnia cognoueritis, ſtatuatis, nec ueſtra cogitatione meã orationem anteuertatis. deinde uero ſi primo leuis hic meus quibuſdam apparatus fuerit uiſus, ne me moram afferre bello, ac tarditatem putetis. Non enim ij, qui cito, atque adeo illo ipſo die paranda eſſe auxilia dicunt, ea maxime, quæ tempus Reip. poſtulat, dicunt: (qui enim præſentibus auxilijs poſſunt præterita incommoda propulſari?) uerum ille demum, qui &

Phi.i. 154. b. Philip.iiii. 192. b.

Sic Cic. celeriter agẽdũ eſſe ſuadet in Phi. 5. & 6. Pro Cluẽ. 20. b.

Phi.7. 210 b. Philip. 5. 199. b.

Sic reprehẽdit ſæpe aliorũ ſenatorũ ſentẽtiã Cic. in Philip.

genus, & numerum copiarum oſtenderit, & unde conſcriptæ bellum tandiu poterunt ſuſtinere, quoad aut id aliqua ratione ſolvamus, aut (quæ una ratio ad his nos miſerijs liberandos relinquitur) ſuperiores hoſtium ſimus. Id quod ego præſtare me facile poſſe arbitror, haud alium quenquã, ſi quid ipſe polliceatur, impediens. Ac quod quidem ego polliceor, eiuſmodi eſt. Id autem ita eſſe iam res ipſa probabit; uos iudices

Philip. pri. eritis. Primum igitur triremes quinquagin

156. a. ta paretis cenſeo, deinde uero ſic animati ſitis, ut, ſi res ita tulerit, eas conſcendentes, mare traijciatis. ad hæc pro dimidia parte equitum deuehenda triremes ad tranſportandos equos accõmodatas, nauigiaq; idonea comparetis, eaq; inſtructa collocetis ad repentinas incurſiones has prohibendas, quas ille ex ſui ipſius finibus in Cherſoneſum facit, et Thermopylas, & Olynthum, ac quocunque ipſum ſubuertendi cupido attraxerit.
Etenim hoc in eius animo prorſus inſidere neceſſe eſt, ex immoderata hac ueſtra ſocordia uos, ut ad Euboeam, ac multo ante (ut fama eſt) ad Haliarthum, ac nuper

ad Thermopylas tandem feciſtis, eſſe procul dubio erupturos. adeo ut ne ſi ea quidem, quæ cenſeo, faciatis, conſilium hoc negligendum eſſe nullo modo uideatur. ut aut ille metu perculſus, cum uos paratos, erectosq; perceperit, (omnino enim percipiet. ſunt enim ſunt ex noſtro ordine multo plures, quàm Rep. dignum eſt, qui noſtra ad illum facta omnia deferant.) quieſcat, aut his ſpretis imparatus opprimatur; cum nemo uobis impedimento ſit, quo minus ſi occaſionem nacti fueritis, cum claſſe in illius fines impetum faciatis. Atque hæc quidem ea ſunt, quæ omnium auctoritate comprobanda, & ab omnibus comparanda eſſe exiſtimo. Ad hæc aliquem etiam conficiendum exercitum ſtatuo, qui continenter bellum gerat, atq; agros eius depopuletur, et uaſtet; nō illum quidem, qui ex decem, aut ex uiginti millibus mercenariorum militum confici, nec illum qui in epiſtolis iactari aliquando ſolet, ſed eum qui conſcriptus è ciuibus ſit. Ita enim ſi uel unum, uel plures, uel hunc, uel quemlibet imperatorem præfeceritis, eum audiet, atq; ſeque

Philip. ſexta. 208. a.

tur. atq; eidem huic præſidia etiam ui/ tæ neceſſaria eſſe præbenda cenſeo. At quæ erunt hæ copiæ, & quantæ, & un/ de his cibaria ſuppetent, ac quemadmo/ dum hæc geri, & adminiſtrari placebit? ego docebo agens de unaquaq; re ſepara/ tim. Peregrinas quidem copias dico. Ac ne uobis id contingat, quod ſæpe Reip. obfuit, qui omnes apparatus ueſtros infir/ miores nimis eſſe putantes, maximasq; res in conſultando decernentes, ne paruas qui/ dem in exequendo obitis, paruis ſuſceptis potius, ac comparatis rebus, ijs, ſi infirmio/ res uobis uiſæ fuerint, addite. Ad ſum/ mum igitur milites ad duo millia conſcri/ bantur, cenſeo. Ex his quingenti uolo Athenienſes ſint, ex ea ætate, quæ uobis optima fuerit uiſa, quiq; certo, ac ſtatuto tempore, eoq; non admodum diuturno, ſed quod ſatis uobis eſſe uiſum fuerit, ſucceſ/ ſione mutua mereantur. reliquos peregri/ nos eſſe iubeo. hisq; equites ducentos ad/ iungi, ex quibus Athenienſes ſint mini/ mum quinquaginta, qui mereant pari con/ ditione, qua pedites atq; his etiam hip/

pagines comparari. Eſto. quid ad hæc? Liburnicas inſtrui decem. Etenim cum ille Claſſem habeat, nobis item Liburnicis opus eſt; ut quam minimo cum periculo noſter exercitus traijcere poſſit. At undenam illis ad uictum ſuppetet? ego oſtendam, ſi prius, cur hunc ſatis magnum copiarum numerum eſſe iudicem, curq; ciues ad bellum proficiſci iubeam, edocuero. Hunc igitur copiarum numerum iccirco decerno, quòd is à nobis exercitus hoc tempore comparari non poteſt, qui cum eo ex æquo confligere poſſit. ſed latrocinijs, et excurſionibus res nobis gerenda eſt, eaq; ratione bellum primum adminiſtrandum eſt. Quamobrem nec magnas admodum copias, quia non ſit, unde alantur, neque item admodum etiam tenues eſſe neceſſe eſt. Ciues autem adſint, unaq; transmittant ob eam rem dico, quòd ſuperioribus quondam temporibus Remp. in Corintho peregrinã manũ aluiſſe audio, cui Polyſtratus, et Iphicrates et Chabrias, ac nõnulli etiã alij præerant, uosq; cũ ijs una ſtipẽdia meruiſſe. Atq; etiã fama accepi exter

Sic a maiorum factis ꝓbat. Cic. ut in Philip. 8.216.b.

norum horum militum, ueſtraq; uirtute, cũ utriq; in eadem acie ſtaretis, Laced*æmonios uictos, proſtratosque fuiſſe. at uero poſtea quam peregrini milites ipſi per ſe rem gerũt, amicos, ſociosq; diripiunt, inimicos autem nobis plures, quã ſatis eſſet, acquirunt, neglectoq;* Reip. *bello ad* Artaba*zũ, ac quocunq; potius, quã in* Macedoniam *nauigant.* Pr*ætor autẽ obſequitur. nec ſine cauſa. neq;. n. obedientẽ habere exercitum poteſt is, qui ſtipendium non perſoluerit.* Q*uid igitur cẽſeo? ut ſtipendio dato, ac militibus ueſtris tanquã rerum earum, quas prætores geſſerint custodibus appoſitis, nullam ad ſe excuſandum rationem, nec prætori, nec militibus relinquatis.* Q*uoniam præſentis ſtatus noſtri ualde ridicula ratio eſt.* Nam *ſi quis à uobis quæreret* Viri Athen. *an ne pacatæ res eſſent ueſtræ; quid eſſetis aliud reſponſuri, quam omni abiecta pace grauisſimum cum* Philip*po bellum adminiſtrare?* At *non ne centuriones decem, & pretores, & tribunos, itemq; præfectos equitum duos ex ordine ueſtro creaſtis? quæ igitur ab his utilitas* Reip. *comparatur, eo uno, qui exierit ad*

Porcius Latro i declamatione.

bellum adminiſtrandum excepto ? reliqui ſacrificulis adiuuantibus ſolennia nobis mu nera comparant. ut. n. ij, qui luteas fin/ gunt ſtatuas, ſic uos ad ornandum forum, non ad gerendum bellum centuriones, atq; tribunos eligitis. at non ne rectius eſſet, cen/ turiatus, ac præfecturas ueſtris à uobis mādari ciuibus, ut ueriſſime exercitus Reip. diceretur? Igitur in Lemnum ueſtro præ/ fecto equitum nauigandum eſt, Menelao uero ijs, qui pro fortunis Reip. dimicant im/ perandum? Neq; uero obtrectandi cauſa hæc dico. Sed eum, quicunque is eſſet ſuffra/ gijs à uobis ueſtris creari oportebat. For/ taſſe hæc quidem probatis, ſed quæ pecu/ cuniarum ſumma eſſe debeat, &, ut ſit un/ de ſuppetat, audire cupitis. Quamobrem illud etiam exequar. Pecunia igitur mili/ tes hoc modo alantur, ac ſuſtineantur, cen/ ſeo; ut ijs tantummodo, qui in hoc exer/ citu ſteterint pro ſtipendio talenta nona/ ginta pendantur, aut paulo amplius.

De fato. 142. a.

Liburnicis quidem decem quadraginta ta/ lēta, uicenæ unicuiq; naui ſingulis men/ ſibus minæ, duobus autem peditum milli/

nathenæa, ac Liberalia *ipſa, in quæ tot pe/cunias profunditis, quot ne in unam qui/dem ornandam claſſem, ac tantam homi/num multitudinem, tantumq; apparatum conſumitis, quantum, ne in unam qui/dem claſſem ex omnibus inſtruendam: quotannis ſiue peritis, ſiue indoctis eius muneris procuratio obuenerit, ſtato tem/pore celebrari? claſſes uero omnes, ut eam, quam ad Methonem, & Paga/ſas, et Potidæam obſidione liberandas miſi/ſtis, alieniſſimo comparari? quia ea om/nia legibus conſtituta ſunt; ac unuſquiſ/que ueſtrum, quis ædilis ſit, quiſque tri/bunus futurus, multò ante proſpexit, itemque quo tempore, à quo, quibus ſumptis pecunijs, quæ obeunda ſint, cognitum omnibus, atque perſpectum eſt. contra uero ea, quæ ad bellicos appara/tus pertinent, uacant ordine, uacant con/ſtantia, uacant ratione. ſimulatq; enim increpuit aliquid; tum deniq;, qui opibus ſuis triremes ornent, creamus; fortunarum permutationem concedimus; de parandis pe/cunijs agimus; ijdē modo inquilinos, et exter/* Philipp. 3. 183.a.

Hęc ſentē/
tia ſępe in.
5. Philipp.
eſt tractata
& i. 8. 215
a.

*nos homines, modo ſuperiores iterum illos
conſcendere debere cenſemus. Interea
uero dum in his tempus teritur, ea pere/
unt, quorum cauſa expeditio compara/
tur. Agendi .n. tempus in apparando
conſumimus, at uero tarditatem, deſidiáq́;
ueſtram haud ipſa temporum momenta op/
periuntur. Quem uero copiarum nume/
rum nobis interim ſatis magnum eſſe arbi/
tramur, eum nullum eſſe ex ipſis rerum euen/
tis apparet. Ille uero eò inſolentiæ pro/
ceſſit, ut iam etiam Euboenſibus eiuſmodi
ſcribat epiſtolas.*

Sic Cic. re/
citat epiſ/
tolā Anto
nii ad Hir/
ciū & Cę/
ſarē Phili.
13.

EPISTOLA.

HORVM IGITVR, *Quæ
recitata ſunt* V. *Athen. quanquam ple/
raque uera ſunt, contra, quàm deceret,
non tamen ita forſitan auditu iucunda
ſunt. At enim, ſi quis, ut multa dicen/
do, ne quorum offendat animum, præ/
termittit, ſic ſe à rebus debet ipſis etiam
abſtinere, omnino ad uoluntatem, arbitri/
umque aliorum noſtram accommodemus*

Liu. l. 3. in
cōc. Quït.
Capitolini.

orationem neceſſe eſt. Sin autem ficta ad uoluptatem oratio, niſi rei conueniat, nocet maxime; turpe eſt fallere nos metipſos V. Athen. rebuſque reiectis ijs, quæ laborem oſtendant, alieniſſimo tempore omnia agere; neque id intelligere poſſe, eos, qui prudenter rem militarem gubernant non occaſionibus regi, ſed occaſiones regere oportere; &, ut ſe prætor ordinibus ducem præbet, ſic prudentes uiros rerum etiam euenta proſpicere; ne ea facere, quæ caſus intulerit, compellantur, ſed quæ multo ante ſua ſibi mens, ratioque præſcripſerit. Vos uero V. Athen. cum multo maior uobis copia ſit nauium, armorum, præterea equorum, atque pecuniarum, nulla tamen harum rerum adhuc, quãq̃ nihil omiſiſtis, in tempore uſi eſtis. non aliter autem cum Philippo bellum adminiſtratis, quàm ipſi inter ſe pugiles Barbarorum digladiantur, quorum quam quiſq; plagam accepit, in eam repente propulſandam incumbit, eandemq;, ſi fuerit alia corporis in parte pulſatus, tum deniq; repellit, cum ſibi impoſita fuerit; at uero aduerſarij

Hanc ſententiã expreſſit Cic. Philipp. 7. 212.b.

Sall. in cõcione Catonis. 21.a

petitiones uitari, aut multo ante prouidere neque ſcit, neque uult. Ita ſi uobis Philippum eſſe in Cheroneſo renuntiatum fuerit, eò ſuccurrendum eſſe decernitis; si in Thermopylis, eò; ſin uſquam alibi, ſurſum deorſum conuolatis, atque concurritis. Ita res ipſa ueſtra militaris ab eo regitur; nihil de bello uobis ipſis ſalutare conſulitur; nihil de parandarum pecuniarum ratione, antequàm commotum Philippum, aut commoueri ſenſeritis, prouidetur. At hæc fortaſſe facere antea uobis licuit. iam uero in eum locum adducta res eſt, ut ne locus ijs quidem ullus amplius relinquatur. Ac mihi quidem Deus aliquis uidetur, quod earum rerum puderet, quas ipſi pro Repub. adminiſtraſtis, immoderatam hanc dominandi libidinem iniecisse Philippo. Ego enim ſic iudico, ſi ille ciuitates eas, quas diruit, quaſque cepit, ſatis ſibi eſſe duxiſſet, nec quicquam præterea tentasſet, ea pleroſque ueſtrum facile fuiſſe paſſuros, ex quibus tum infamiam, atque flagitioſæ cuiuſdam ignauiæ maculam, tum fœdisſimæ denique turpitudinis

notam Reſp. ſubijſſet. Iam uero quotidie tentans aliquid, pluraque in dies affectans, uos met profecto ad ſalutem patriæ defendendam, niſi omnino à uirtute ueſtra priſtina diſciueritis, excitabit. Illud autem maxime miror, ſi nemo ueſtrum his de rebus cogitans indignetur, præſertim uero cum huius quidem nos belli principio id egiſſe intelligat, ut Philippum ulciſceremur; nunc uero eo rem deductam eſſe ſentiat, ut, ne quo ab eo afficiamur incommodo, nobis ſit quàm diligentisſime prouidendum; præſertim uero, cum ipſum ſatis conſtet, nunquàm eſſe, niſi quis obſtiterit, quieturum. An id tempus igitur expectabimus ac uacuis, inanibuſque triremibus, ac quorundam uirorum pollicitationibus ſpem bonam afferentibus recte geſtam iri Rempub. arbitramini? non ne egrediemur? non ne ipſis nunc, etſi iandiu non facimus, cum aliqua domeſticarum copiarum parte exibimus? non ne in eius fines claſſe inuademus? at quam ad partem accedemus? quæret aliquis. Facile, quæ debiles, ac imbecillæ illius

Philipp. 3. 189. a.

Sic Cic. nõ quieturum Anto. inquit. Phili. 5. 207. a.

Sic Cicero inuehiſſe in Philippicis in eos oratores, qui patrocinarentur Antonio.

Liu.l. 3.in concione Quintii Capit.

imperij partes ſint, impreſſione facta, repe-riemus. ſin autem domi deſides criminoſis oratorum altercationibus intēti ſederimus; contra, atq ipſius Reip. *poſtulat & ſalus, & dignitas, faciemus.* Etenim *hæc mea ſen-tentia eſt, quocunq; aliqua pars ciuium ue-nerit, & ſi non omnes affuerint, eorum eſſe conatus deorum benignitatem, ac fortunam adiuturos; quocũq; uero prætorem cum ina-ni decreto, cumq; uanis oratorũ pollicitatio-nibus emiſeritis, haud quaq̃ nos* Reip. *con-ſulturos: uerum hoſtibus ludibrio noſtras hu-iusmodi claſſes futuras, ſocios timoris percul-ſos magnitudine interim perituros.* Non .n. *poteſt, non poteſt inquam unus uir ea præ-ſtare uobis omnia, quæ cupitis. at uero pol-liceri, confirmare, hunc, aut illum inſimulare facile poteſt.* Atq; *hoc quidem initium, & fons eſt omnium* Reip. *calamitatum.* Etenim, *cum peregrinorum militum, qui mi-ſeri à uobis fraudati ſtipendio ſint: impera-tor fuerit in acie ſuperatus, uos autem falſis militũ ſuo de prætore criminibus facile fidem habentes, facilius quãcunq; etiam ſententi-am ex illorum oratione tuleritis; quid aliud*

expectandum eſt ? at quis horum erit finis incommodorum ? ſi ut ijdem, & in acie ſtēt, & prætorum factis interſint, & cum domum redierint, eorum, quæ illi commiſerint, iudices ſedeant, ſtatueritis. Neq; *enim res ueſtras tãtummodo debetis ex aliorum oratione cognoſcere, ſed ijs ipſis uos etiam intereſſe.* Iam *uero ita flagitioſe res ipſa lapſa eſt; ut unusquisq; prætor bis, aut ter apud uos de capite cauſam dicat; cum hoſtibus uero ne ſemel quidem de ſalute decernere auſit; ſed plagiariorum, ac graſſatorum more perire omnes optant magis, quam eorum uirtus, ac dignitas poſtularet. quandoquidem nefarij, ac perditi latronis eſt capite damnatum occumbere, fortis uero, ac ſtrenui imperatoris, cum hoſtibus dimicando cadere.* Ex *noſtris autem alij urbem obeuntes Philippum inquiunt adiunctis Lacedæmonijs de Thebanorum euerſione, deq; Rerumpublicarum interitu cogitare; alij legatos ad Regem miſiſſe; alij mœnibus, & uallo oppida Illyriorum firmare; alij improbiſſimis his diſſipatis ſermonibus huc, atq; illuc uolitamus, atq; uagamur.*

Ita Cic. in Philip. 7. inuehitur in eos, qui reſponſa Antonii fingerēt.

Ego uero ita per Deos ipſos immortales exi- ſtimo V. Athen. illum magnitudine rerum à ſe geſtarum, tanquam uino obrutum, atque eorum item, qui ſuos frangant im- petus inopia, rebusque geſtis elatum, tum hæc huiusmodi multa ſecundum quie- tem uidere.. ſed non ita tamen in agen- do temerarium eſſe, ut quid ipſe facturus ſit, noſtri homines amentiſſimi ſcire poſ- ſint. neque enim ijs, qui hos huiusmo- di fingunt ſermones eſt quicquam demen- tius. Sed tamen ſi his rebus omiſſis con- ſideremus hunc nobis hoſtem eſſe, noſtris- que nos illum rebus diſpoliare; in nosq; iam- pridem contumelioſum fuiſſe; quæque nos ante à quoquam unquam adiumenta ſpera- uimus, ea nobis aduerſa fuiſſe: compert- tum eſſe; quod autem relinquitur, id om- ne eſſe in noſtra uoluntate, ac fortitu- dine poſitum; iamque niſi bellum in Mace- doniã inferemus, id nobis domi ferri neceſ- ſarium fortaſſe futurum; ſi hæc inquam conſideremus, certe & cogitationem utilem Reip. ſuſcipiemus, nosq; ab inanibus hi- ſce ſermonibus liberabimus. Neq; enim

Sic deſcri- bit Anto. Cic. in Phi li. 5. 201. a

Liu. l. 31. in cõci. Sulpi. cõſulis ad Quirites d̃ bello Ma- cedonico. Philipp. 4. 193. b.

quæ noſtra futura conditio ſit cogitare debemus, ſed eam perditā omnino, aflictamque futuram, niſi ad Reip. *ſalutem incubueritis, proq; ea defendenda uigilaueritis, exploratum debemus habere. Equidem cum nunquam aliàs ineundæ cauſa à uobis gratiæ de induſtria illa dixi, quæ non & profutura* Reip. *ſtatui, tum uero hoc potiſſimum tempore, quæ ipſe ſentirem nulla occultata re libere omnia ſum locutus.* Vellem *autem, ut quemadmodum, quæ uobis optima audientibus emolumenta uentura ſint, ſcio; ſic etiam, quæ ſint illum, qui optima ſuaſerit conſecutura, tenere. multo enim libentius, alacriusque dixiſſem. Sed tamen, & ſi quæ mihi contingere debent, incerta, & dubia ſunt; malo tamen ob ea commoda, quæ, ſi mihi paruerits, capietis, me ad hanc orationem eſſe deductum.* Vtinam *autem ualeant ea, quæ publice uobis utilitatem ſunt allatura.*

Hunc locū adūbrauit Sall. in 2. oratiōe ad Cæſarē de rep. ordin. Talis etiā ſentētia eſt i ꝑoratiōe ꝓ lege Manil.

FINIS.



Z 1083.18

99 859343

15

1082. 18

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MC